



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim  
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,  
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,  
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus  
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati  
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

**Herbipoli, 1699**


Decas II. Ab anno 10. ad Annum 20.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64743](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64743)

✽ 3. 4. 5. 6. 7. 8. ✽ Putant aliqui Josephum Infantem JESUM anno tertio reduxisse in Palæstinam ex Ægypto, quibus non videtur ratio ob quam in Ægypto diutius retentum esse affirmant, Baronius autem reditum Christi ex Ægypto statuit anno ejus octavo.

✽ 9. & 10. ✽ Sanctissima Familia habitat in Nazareth, unde Christus dictus est Nazarenus, adhæsitq; illi hoc nomen usq; dum in Christum credentes, CHRISTIANI appellati sunt, tunc enim NAZARENI nomen relictum est illis, qui simul Christum colebant & legalia quoque vetera retinebant, neque Judæi, neque veri Christiani. Impius Porphyrius, & Julianus Apostata non aliter Christianos, quam Galilæos appellabant.



## DECAS II.

✽ Ab anno 10. ad Annum 20. ✽

12. CUM Christus jam esset duodennis, deductus est à Parentibus Hierosolymam ad festum Paschæ, quibus nescientibus ibidem per triduum remansit. Non videtur autem credibile, quod pij aliqui putant, Christum hoc triduo mendicasse, quia lege divinâ prohibitum antiquitus videbatur Judæis mendicare.

A 2


Re-

Reliqui anni vacant quia latuit Christus, & usque ad annum trigesimum nihil de eo proditum est, præter id, quod tribus verbis Evangelista complectitur: *Erat subditus illis.*

Interea circa annum Christi decimum sextum ARCHELAUS Ethnarcha nono Principatus sui anno Romæ à legatis Samaritanorum & Judæorum de nimia crudelitate & tyrannide iudicio postulatur, & ab Augusto accersitur, Viennam Galliæ civitatem in exilium mittitur, & bona ejus fisco addicuntur.

Ex damnatione hujus Archelai certior causa redditur, quare Joseph ex Ægypto reversus noluerit venire in Judæam, audit illic Archelaum regnare: non enim timuit successorem Herodis, cum etiam Antipas, qui in Galilæa regnavit, filius fuerit Herodis, subterfugit autem tyrannidem Archelai.

Obiit Anno 16. Augustus Imperator, & successit Tiberius Nero.



### DECAS III.

✿ *Ab anno 20. ad annum 30.* ✿

**L**atente adhuc Christo nihil gestum reperitur quod spectat ad res ecclesiasticas.

Cre.